

metiri, quàm prioribus concedebatur; Quemadmodum Exemplum literarum Parentis tui ad Ranzovium, (quod etiam ob id in hoc Epistolarum Astronomicarum libro primum locum obtinere voluimus) testatur. Hinc verò arreptâ commodâ oportunitate, ipsemet ad Illustriss: tuum Parentem, cùm de Cometâ, de quo rogabat; tàm de alijs ad Astronomiæ negotium non modicè facientibus, atq; de eo ipso Instrumentorum componendorum modo, quo divisiones & pinnacidia, aliaq; requisita rectius & commodius, quàm communiter fieri solebat, adaptarentur, ac plenius, quàm à Mathematico illo, qui hinc per patriam deflectens, ad ipsum discesserat, indicatum animadverti, meam aperui sententiam. Ad quas literas tuus Illustriss: Parens clementer, & appositè respondit, unaq; Mathematico suo, quem tunc in Aulâ habuit, ut plenius mecum de hoc negotio literis ageret, iniunxit. Hinc porro factum est, ut aliæ, atq; aliæ supervenirent, atq; inter nos communicarentur Epistolæ, de re Astronomicâ, adeoq; præcipuis quibusdam capitibus hanc concernentibus, affatim & copiosè tractantes; Quod etiam intermitti non desijt, donec optimus ille, & laudatissimus Princeps, totius Germaniæ oculus, columen, & decus, in terris esse desijt. Quem antè triennium hinc evocatum magno tàm Germaniæ, & adiacentium Regionum incommodo, quàm bonorum omnium gravi desiderio, luctuq; & Rerum quoq; Astronomicarum (né hoc præteream) quas impen-

(:) }

se